Can. L. ዘኮነ፡] ∧ A. — እምንዋየ፡]ንዋየ፡ A. — ለእመ፡ — — ክርስቲያን፡] ∧ ob homoeoteleuton B. — አስተርአየ፡]አስተ ርአዩ፡ለእመ፡አስተስረዩ፡ሎቱ፡ T. — ግብር፡ኀጠ"]ገብረ፡ኀጢ አተ፡ T.

Can. LI. ያስተዋድይዎ፡]አስተዋደይዎ፡ A. — ይጸውዕዎ፡] ይጼውዕዎ፡ B. — ቆጸሳት፡]ቆጽስ፡ B. — ወይትአመን፡]ወተአ መን፡ T. — ኀጢአቶ፡]ኀጢአቱ፡ AT. — ዘይደሉ፡]ይደሉ፡ T. — ኤጲስ፡ቆጶሳት፡ወ] ∧ ABT. — ይጸውዕዎ፡]ይጸውዖ፡ A. — በዘ ይደሉ፡]ዘይደሉ፡ T. — ይኩን፡]ኢይኩን፡ AB.

Can. LII. ወኢስምዐ፡አሐዱ፡] + ኤጲስ፡ቆጶስ፡ ABT. — ስ ምዐ፡]ወኢይስምዕ፡ A. — ዕልዋን፡]እምዕልዋን፡ B. — አሐዱ፡] + ኤጲስ፡ቆጶስ፡ ABT. — በአፈ፡]እምአፈ፡ AB. — ለኤጲስ፡ቆ ጶስ፡]ለጳጳስ፡ A. — ለወልዱ፡]ለውሉዱ፡ A. — ይትዋረሱ፡]ይት ዋረስ፡ BT. — ወኢየሀብ፡]ወኢተሀብ፡ B. — ወኢይደሉ፡]ወይ

ደሉ፡ B. — ርስተ፡]ርኵስተ፡ T. — ለእመ፡]ለእለ፡ B. — ወይ
ነሥኡ፡]ወይንሥኡ፡ B, ይንሥኡ፡ A. — ይትኰነን፡]ይትኳነን፡
ABT. — ሐንካሰ፡]ሐንካስ፡ BT. — ወይደልዎ፡]ወኢይደልዎ፡
AT. — እስመ፡] ^ T. — ነፍስ፡]መንፈስ፡ T. — ከዊኖ፡]ዘኮነ፡
BT. — ኢይዘረዉ፡]ኢይዝክሩ፡ T. — ወኢይጸሊ፡]ወኢይጼሊ፡ A.

Can. LIII. ዝንቱ፡] ^ B. — ወኢይደልዎ፡]ወይደልዎ፡ B. —
ምርካበ፡]እምርካበ፡ A. — ግብረ፡]ለግብረ፡ A. — ወለእመአኮሰ፡
— — ቆጶስና፡]ወለእመ፡ ኢገብረ፡ ኤጲስ፡ ቅጶስ፡ T, ወለእመሰ፡ ኢ
ይገብር፡ ኤ"ቆ" AB. — ለክልኤ፡] ^ A. — በመባሕት፡]መባ"
B. — አጋእዝቲሁ፡]አጋ"ሆሙ፡ T. — ከመ፡]ወከመ፡ B. — ኢ
ይኅዝኑ፡]ኢያኅዝኑ፡ A. — አጋእ"]አጋ"ሆሙ፡ AT. — አናሲ
ሞስ፡] ^ ABT. — ወያግዕዝዎ፡]ወአግዕዝዎ፡ A. — እምአብ"]
እምአጋእዝቲሆሙ፡ T.

Can. LIV. ወይርከብ፡] ^ T, ወይረክብ፡ A. — ሢመተ፡]
^ AT. — ሀቡ፡]የሀቡ፡ T. — አው፡] ^ T, ወ A.

Can. LV. ይትወከፉ፡]ይትወከፍ፡ B. — እሉ፡] ^ A. — ለካ
ህናት፡]ካህ" T, አካህናት፡ A. — እሙንቱ፡] ^ T.

Can. LVI. ትእዛዝ፡ ፶ወ፩ ።] ኍልቍ፡ (pro ኍልቈ፡?) T. —
ዘሩት፡] + ፰መጻሕፍት፡ (Octateuchus) T. — ዘአስቴር፡]ዘይስታር፡
A, ዘአስቲር፡ T. — ዘንተ፡ መሀሩ፡]ወዘትምህሩ፡ T. — ወልደ፡
ሲራክ፡]ዘሲ" T. — ዐቢየ፡]ዐቢይ፡ T. — መጻሕፍትኒ፡] + ዚ
አነ፡ A, + ነ T. — ሕግ፡] ^ T. — ዘውእቱ፡]ዝው" A.

Can. LVII. ኦኤጲስ፡ቆ"]ኤጲስ፡ቆ" BT. — ዛቲ፡]ባቲ፡ T. —
ወትዴኅኑ፡]ወትዴኅኑ፡ A, ወትድኅኑ፡ T, ወትድኅኑ፡ B. — ለዝ
ሉፉ፡ ^ B. — ወድኅሬሁ፡] + ሐዘነ፡ ወ BT. — ተረክበክሙ፡]
ትረክቡ፡ T. — ወወልዱ፡]ወልድ፡ T, ወወልድ፡ B. — ቅዱስ፡]
^ T. — ይረሲክሙ፡]ይሬስየክሙ፡ B. — ሰላመ፡]በሰላም፡ BT. —
እንዘ፡]ወአንዘ፡ BT. — ኢታንቀለቅሉ፡]ኢታንቀልቅሉ፡ BT. —
ዘያፈቅሮ፡]ዘያፈቅር AT. — ምስሌሁ]፡ ^ BT. — ዘፈነዉነ፡]ዘፈ
ነውነ፡ B, ዘፈነዉ AT.

Versio.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unici Dei. — Haec est Synodus ecclesiae, quam apostoli tradiderunt per manus Clementis, quem olim legaverunt.

Canon I. Quot episcopi interesse debeant ordinationi episcopi. — Ordinetur episcopus per duos aut tres episcopos. Presbyter vero et diaconus et reliqui clerici ordinentur auctoritate [1] unius episcopi.

Can. II. De iis, quae afferri oportet ad altare. — Si quis episcopus aut presbyter alia quaedam attulerit ad altare Domini, praeter ea, quae afferri et sacrificari jussimus, vel [si] mel[2], aut lac, aut aliquid avium aliarumve bestiarum afferat, praeter ea, quae Dominus

---

[1] Omnes codd. praebent በመባሕተ፡ ፩ኤ"ቆ"፡ pr. *cum permissione unius episcopi;* sed nemo est quin videat, hanc lectionem canonis sensui minime convenire. Quare conjicio pro በመባሕተ፡ esse legendum በባሕቲቱ፡ *(per unum tantum episcopum).* — In recensione altera statuitur, tum episcopum, tum alios clericos ordinandos esse die dominica (በሰንበተ፡ክርስቲያን፡ pr.: *in sabbato Christianorum*).

[2] Addit versio Coptica: ⲓⲉ ⲟⲩⲥⲓⲕⲉⲣⲟⲛ ⲉⲁⲩⲑⲁⲙⲓⲟϥ ⲉⲡⲱⲁ ⲛⲟⲩⲏⲣⲡ *vel potum inebriantem* (σίκερα) *factitium pro vino.* Fusius in canonibus, quos „Abtelisât" (titulos) vocant: — — ሥራቡ፡ሦከር፡ወምንተኒ፡ሜሰ፡ወይን፡ዘግቡር፡በእሳት፡አው፡ወይን፡ዘግቡር፡በፀሓይ። [pro vino naturali] *potum inebriantem, et vinum aliquod igne factum, aut vinum sole factum.* Cf. versionem titulorum Arabicam apud *Beveregium* ad h. can.: [عوض الخمر النقيّ الخالص] شراب سكر (مُسْكِر ?) او شيء من الانبذة الغريبة المعمولة بالنار او غيرها.

noster statuit: deponatur. Neque fas est aliud quid affere ad altare, nisi spicas uvasque suo tempore, et oleum sanctae lampadis, atque thus tempore sancti sacrificii. Caeteras vero fruges domum mittant, sintque [illae] episcopi et presbyterorum; ad altare autem ne eas afferant. Distribuantque eas episcopus et presbyteri etiam reliquis clericis.

Can. III. Ne ejciant episcopus et presbyter et diaconus uxorem suam sub praetextu officii divini.[1] Si vero ejecerint: segregentur; et si eam non reduxerint atque receperint: deponantur.

Can. IV. De die, quo oportet Pascha celebrari. — Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus sanctum Pascha celebraverit cum Iudaeis, ante aequinoctium [vernum]: deponatur.

Can. V. Ne se immisceant episcopus et presbyter et diaconus negotiis huius saeculi; si vero se [iis] immiscuerint: deponantur.

Can. VI. Si quis episcopus aut quilibet ex clericis tempore Missae non sumserit eucharistiam, causam huius rei dicat[2]; et si quid ipso indignum contigerit[3]: venia ei detur. Si vero causam suam non dixerit: segregetur, quoniam hominibus auctor factus est scandali et effecit, ut offenderentur de eo, qui sacrificium obtulit, quasi non in munditie sacrificasset.

Can. VII. Quivis fidelis, qui ecclesiam ingreditur et scripturas audit, non autem subsistit, donec [fideles] preces absolverint, neque sanctam eucharistiam sumit: — pro tali ne faciant preces; debetur

---

[1] Gr. εὐλάβεια. Aethiops vero ad verbum reddidit Copt. ⲙⲉⲧⲣⲉϥϣⲉⲙϣⲉ ⲛⲟⲩϯ *cultum* (s. ministerium) *Dei.* — Videtur interpres Copticus pro εὐλάβεια legisse εὐσέβεια, quam vocem fere ubique illo modo vertit.

[2] Quamquam omnes codd. exhibent: ዘእንበለ፡ይንግር፡ም" *quin* (s. priusquam) *dicat causam*, tamen ዘእንበለ፡ in textum non recepi: verborum enim contextus istud ዘ" plane excludit. Quodsi enim ዘ" retinere velles, in enunciatione conditionali deesset apodosis; ut praetermittam, quod verba: *dicat causam* respondeant iis, quae mox sequuntur: *si vero causam non dixerit.* Omisso vero ዘ", textus Aeth. consentit cum Graeco (τὴν αἰτίαν εἰπάτω) nec non cum versionibus Syriacis. Etiam in recensione altera et in „Abtelisât" legitur ይንግር፡(s. ለይንግር፡) sine ዘእንበለ፡ Versio Coptica habet: ⲓⲉ ⲉϥϫⲱ ⲛ̀ⲁⲓⲧⲓⲁ *si causam dicat.*

[3] Graecus (quocum consentiunt versiones Syr. et Copt.) habet: καὶ ἐὰν ᾖ (sc. ἡ αἰτία) εὔλογος, quae verba alium praebent sensum. Sensus textus Aeth. esse videtur: Si quid contigerit, quod eum sacrae communionis indignum reddit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000038

enim ei segregatio, quoniam rixam atque perturbationem parat ecclesiae.

Can. VIII. Si quis cum eo, qui nullam mysterii partem habet[1] [i. e. cum segregato], preces fecerit, etiamsi domi: segregetur.

Can. IX. Ne orent [clerici] cum (clerico) segregato. — Si quis clericus oraverit cum clerico segregato: etiam ipse segregetur.

Canon X. Si quis clericus aut laïcus segregatus profectus fuerit in [aliam] civitatem, quasi non esset segregatus, atque hanc civitatem ingrediatur sine permissione [episcopi][2] et ordinetur: segregentur tum ipse tum is, qui eum ordinaverit. Quodsi iam segregatus fuerit, in longius tempus segregetur, quoniam ecclesiam Domini fefellit.

Can. XI. Non licet episcopo derelinquere dioecesim suam et in alia ordinari — quamvis populus eum ad hoc impulerit, — nisi propter utilitatem et [nisi] eum impellant, ut hoc faciat, quod utilitatem posset praebere iis, qui ibi sunt, verbo veritatis. Hoc vero ne faciat solus [i. e. sua ipsius auctoritate], sed multorum episcoporum judicio et supplicatione maxima.

Can. XII. Si quis presbyter[3] aut diaconus aut quilibet ex cleri gradibus dereliquerit sedem suam et in aliam sedem profectus fuerit atque hoc loco per multos dies migrans maneat[4] sine permissione episcopi: hunc nos jubemus non amplius munere suo fungi. Si vero insuper episcopus ad eum miserit, ut rediret ad locum suum, neque [ille] ei obtemperaverit: segregetur a munere suo, et eo loco, ubi est, communicet tamquam laïcus. — Quodsi episcopus, apud quem versatur, eum susceperit tamquam clericum, atque hoc decretum, quod nos statuimus, pro nihilo reputet: segregetur et hic episcopus tamquam magister praevaricationis legis.

Can. XIII. De eo, qui duas [uxores] aut viduam duxerit. — Qui post baptisma duas [uxores] duxit aut concubinam, non potest

---

[1] Sic etiam Copt.: ⲡⲉⲗⲁ ⲡⲉⲧ ⲕⲟⲓⲛⲱⲛⲓⲁ ⲁⲛ ⲁⲗⲗⲁ ⲙⲩⲥⲧⲏⲣⲓⲟⲛ.

[2] Vox መበሕት፡ non solum hic, sed etiam in aliis quibusdam canonibus sensu መጽሐፈ፡ መበሕት፡ [*literae commendaticiae* gr. γράμματα συστατικά] accipienda esse videtur.

[3] Codd. habent እመሂ፡ኤጲስ፡ቆጶስ፡አው፡ቀ"፡ caet. At omisi ኤ" ቆ", quod huc non quadrat neque in textu Graeco neque in aliis versionibus invenitur.

[4] Pro ወይነብር፡ — — ፈሊሰ፡ cod. B habet inepte: ወይገብር፡ — — ፋሲካ፡ *et Pascha celebrat.*

ordinari episcopus nec presbyter nec diaconus, neque ullo modo adnumerari debet clericis. — Qui duxit viduam, aut suspectam, aut stupratam[1], aut meretricem, aut ancillam, aut scenicam, non potest ordinari episcopus nec presbyter nec diaconus, neque ullo modo clericis adnumeretur. — Aut qui cohabitavit[2] cum duabus sororibus vel cum filia fratris sui[3], clericus esse non potest.

Can. XIV. Clericus, qui pro aliquo fidejussionem dat[4], deponatur.

Can. XV, De eunuchis. — Si [quis] per vim eunuchus factus fuerit ab hominibus vel si in bello[5] virilitatem ei exciderint, vel si ita natus fuerit et dignus sit: ordinetur episcopus. — Si vero se ipsum [pr.: sua ipsius auctoritate] castraverit, clericus fieri non potest, quoniam sui ipsius occisor et creationis Dei inimicus factus est. — Et si quis clericus virilia sua amputaverit: deponatur, quoniam nonnisi sui ipsius occisor est. — Laïcus autem, qui se ipsum excidit, segregetur in tres annos, quoniam nonnisi suae ipsius vitae inimicus factus est.

Can. XVI. De eo, qui scortatus est aut falsum juravit aut furatus est. — Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut perjurio aut furto deprehensus fuit, deponatur; non vero segregetur. Dicit enim [scriptura]: „Dominus non exiget[6] vindictam bis de uno crimine.“

Can. XVII. Et [ita] etiam reliqui clerici.[7] — Ii, qui lectores

---

[1] እንተ ፡ አስተኀፈርዋ ፡ secundum Copt: ⲟⲩⲓ ⲉ̀ⲁⲩⲥⲁϣⲥ *quam ignominia affecerunt.* Tattamius, textum Graecum (ἐκβεβλημένην) secutus, vertit: „one who has been divorced“ (?).

[2] ነበረ ፡ ምስለ ፡ respondent Copticis: ⲁϥϩⲉⲙⲥⲓ ⲛⲉⲙ *manuit* s. *habitavit cum.*

[3] Notandum est, etiam in nonnullis codd. Graecis pro ἀδελφιδῆν (= ወለተ ፡ እኁሁ ፡) legi ἀδελφήν (= ወለተ ፡ አቡሁ ፡).

[4] Versio Copt. habet: ⲉⲑⲛⲁϭⲓ ⲣⲱⲙⲓ ⲉ̀ϣⲉⲡⲧⲱⲣⲓ „qui hominem ut vadem *accipiet*“, quare nescio, an Tatt. recte verterit: „who shall become a surety.“

[5] Num liceat vocem ጸብእ ፡ *pugna, bellum* eodem sensu accipere, quo gr. διωγμός *persecutio*, asservare non audeo; saltem lexica hanc significationem ignorant.

[6] Licet etiam vertere: *Dicit enim Dominus: Non exigam* caet.

[7] Etiam in versione Copt. verba ወካዕበ ፡ caet. canonem incipiunt, quamvis ad canonem antecedentem sint referenda.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000040

et cantores sunt, si in Clerum intrant uxoremque ducere voluerunt, ducant. Nos vero eos solummodo [uxores] ducere jubemus, dum lector es sunt; non autem iis licet, postquam [majorem] ordinem adepti sunt.

Can. XVIII. De clerico, qui quemlibet percutit. — Episcopum aut presbyterum, qui Christianum aut infidelem, postquam peccavit, percutit atque hac re hominibus terrorem vult injicere, nos deponi jubemus. Nullo enim loco Dominus noster praecepit, ut hoc faciamus; quia, quum eum percuterent, [ipse] non percussit, et quum ei maledicerent, non maledixit, et quum dolore eum afficerent, non vindictam paravit neque iratus est.

Can. XIX. De eo, qui juste e clericis depositus est. — Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus, propter crimen manifestum juste depositus, protervus sit et accedat ad pristinum munus suum[1] occupandum: ex ecclesia prorsus discedat.

Can. XX. De eo, qui per munera ordinatus est. — Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus dignitatem clericalem per munera adeptus fuerit: deponatur, atque deponatur etiam is, qui eum ordinaverit et in perpetuum ab administratione sacerdotii excludatur; nullamque cum eo habeant societatem, sicut Simonem Magum a me removi: ego Petrus.

Can. XXI. De eo, qui auxilio [principum] utitur ad obtinendam ecclesiam. — Si quis episcopus auxilio principum huius mundi praefecturam adeptus fuerit et ecclesiam per illos possideat: deponatur. Et segregentur tam ipse quam illi, qui ei adhaerent.

Can. XXII. De presbytero, qui aspernatur episcopum. — Si quis presbyter episcopum aspernatus fuerit et ab eo se separet sibique altare exstruat, quin in judicio nullum crimen in episcopo deprehendatur, quum innocens sit ratione officii divini: deponantur tum ipse tamquam dignitatis cupidus, tum omnes clerici, qui ei adhaerent; quoniam re-

---

[1] Verba, a me uncis inclusa, **በመወዋለ፡ መባሕት፡** (pr.: *in diebus permissionis*) mihi quidem sunt obscura; in versione ea non reddidi. Fortasse nonnisi glossema sunt ad **እንተ፡ትካት፡** *(pristinum)*. Lectionem cod. B (**በመ"መስሕት፡**) secutus vertas: *in diebus offensionis* s. *peccati* i. e. si ausus fuerit pristinum officium occupare, quin a crimine absolutus eique licentia ad munus recipiendum concessa sit. An interpres Aethiops pro Copt. **ⲛ̀ⲥⲏⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ** (*omnibus diebus* i. e. *semper*) legerit; **ⲛ̀ⲥⲏⲟⲩ ⲛⲟⲃⲉ** (*in diebus peccati*)?

bellis est. Laïci vero, qui ei adhaerent, segregentur. Atque hoc fiet, quum episcopus eos exhortatus fuerit semel et bis et tertio.

Can. XXIII. De presbytero aut diacono, quem episcopus segregavit. — Si quis episcopus[1] presbyterum aut diaconum segregaverit, alius episcopus ne [eum] recipiat; nisi is, qui eum segregavit, ei permiserit aut mortuus sit.

Can. XXIV. Ne recipiat peregrinus episcopus presbyterum et diaconum — quos tamquam inferiores clericos suscipiat[2] — nisi iis sit permissio, ut ordinentur et consocientur. Et si praedicatores veritatis sunt, recipiantur. Sin minus: dentur iis, quae postulant [i. e. quae iis necessaria sunt]; ne vero associentur. Sunt enim multi improbi hujusmodi.

Can. XXV. Nosse debet metropolita episcopos totius provinciae; hos autem scire oportet, quis inter ipsos primus sit eumque metropolitam [s. patriarcham] nominent. Neve sententiam gravem dicant sine voluntate primi. Unusquisque gerat rem suam, quae ipsi convenit ratione dioecesis suae populique, qui est sub ipsius jurisdictione. Sed ne ille quidem, qui super eos metropolita constitutus est, faciat quidquam absque consilio omnium episcoporum. Hoc modo omnes efficiant unam societatem et glorificabitur Deus per Christum Jesum et Spiritum sanctum. — Ne audeat episcopus ordinationem facere extra dioecesim suam, in pagis ad eum non pertinentibus. Quodsi deprehensus fuerit hoc fecisse absque conscientia ejus, qui in hoc loco et in [his] pagis et civitatibus principatum tenet, deponantur et ipse et ii, quos ordinavit.

Can. XXVI. Si quis episcopus ordinatus sit, et non erudiverit neque populi ipsi commissi curam habuerit: segregetur, donec erudiat. Eodem modo et presbyter et diaconus. Si vero profectus fuerit [ad erudiendum] eumque [populus] non recipiat[3], et quidem non suo consilio, sed consilio populi: ipse quidem episcopus maneat; clerici vero

---

[1] Non est dubium, quin (consentiente versione Copt.) ante ለእመ፡ ሰደደ፡ sit supplendum ኤጲስ፡ቆጶስ፡. Secus ሰደደ፡ mutandum esset in ተሰደ፡ [si quis presbyter aut diaconus] *segregatus fuerit* scil. ab episcopo.

[2] i. e. qui ad eum veniunt, ut recipiantur tamquam inferiores clerici. Sed valde dubito, utrum verba satis obscura እለ፡ይትመ"ከ"ን"ከ" recte verterim, an potius lectio cod. T (አላ፡) sit praeferenda [*sed suscipiat (eos) tamquam inferiores clericos*]. — Caeterum e codd. est incertum, num ይትመጠው፡ an ይትመጠዉ፡ legendum sit.

[3] Sic textum Aeth., sine dubio corruptum, restituendum putavi secundum vers. Copt. [ⲉ̀ϣⲱⲡ ⲇⲉ ⲁϥϣⲁⲛϣⲉⲛⲁϥ ⲛ̀ⲉϣⲧⲉⲙⲭⲁϥ ⲉ̀ϧⲟⲩⲛ].

hujus civitatis segregentur, quia tali modo[1] non admonuerunt populum.

Can. XXVII. Fiat synodus episcoporum bis in anno; et administrationem officii divini explorent atque errores offensionesque, quae in ecclesia sunt, explanent. Prior synodus fiat media Peutecoste[2], altera vero synodus duodecima [die mensis] Tekemt.[3]

Can. XXVIII. Episcopus curam gerat bonorum[4] ecclesiae, eaque administret tamquam is, quem Dominus inspicit. Non ei licet, quidquam ex iis sibi soli ut lucrum sumere, nec bona Domini affinibus suis donare, quamvis sint pauperes. Neque ei licet, bona ecclesiae vendere sub praetextu illorum.

Can. XXIX. De consultatione cum episcopo. — Ne quis ex presbyteris et diaconis quidquam agat, nisi consilio episcopi. Ille enim

---

[1] Si pro ከወዝ፡ emendare velles ዘከመዝ፡ vertendum esset: *quia non admonuerunt populum hujusmodi*, quocum consentiunt Graecus [τοιούτου λαοῦ] et Copt. [ⲙⲡⲁⲁ ⲗⲁⲟⲥ]

[2] In textu Graeco legitur: τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς. Ita etiam recensio II. (በራብዕ፡ ሰንበት፡ ጰንጠቆስጤ፡) et versio Copt. — Quibus minime repugnat titulorum versio Arabica (cf. Bevereg. ad h. c.): في الجمعة الرابعة بعد الفصح *in quarta hebdomade post Pascha*, siquidem olim voce „Pentecostes“ latiore sensu totum tempus inter festum Paschae et festum Pentecostes intelligeretur. Quare etiam Zonaras locum nostrum explicat verbis: τὴν τετάρτην ἑβδομάδα τὴν μετὰ τὸ πάσχα.

[3] Revera Abyssinorum mensis Tekemt, quippequi die X. Octobris sec. Cal. Greg incipiat, respondet mensi Octobris (ὑπερβερεταῖος). In „Abtelisât“ legitur: አመ፡ ፲ ወ፪ ለታሕሪን፡ ቀዳሚ፡ . . . ዘውእቲ፡ ጥቅምት፡ *die XII. Tâsrin (Tisrin) prioris qui est Tekemt.* Ita etiam Arabs: في الثاني عشر من تشرين الاوّل. A decreto illo apostolorum in ecclesia Abyssina festum quoddam, die XVIII. mensis Mijâzjâ celebrandum, nomen duxit, quod በዓለ፡ረክቡ፡ *festum conventus* (sc. episcoporum) vocant. (cf. *Lud.* hist. Aeth. III. c. 6). Respondet festo, quod Graeci μεσοπεντηκοστή appellant et dominica tertia post Pascha celebrant.

[4] Non dubitavi, ante ቤተ፡ክ" vocem ንዋየ፡ supplere, quamvis haec in codd. desit. Nam ut taceam, quod illa vox in textu Graeco nec non in omnibus versionibus occurrat, jam eam postulant suffixa plur. in vocibus ይሥርያሙ፡ et እምኔሆሙ፡. — Pro ላዕሌሁ፡ in cod. T legitur ላዕሌሆሙ፡, cujus suffixum etiam ad ንዋየ፡ referri debet *(tamquam ea, quae Deus inspicit)*. Praetuli autem ላዕሌሁ፡, quod etiam interpres Copt. legerat: ⲉⲱⲥ ⲉϧⲏ ⲛⲉⲧⲁⲟⲩⲱⲡ ⲉϫⲱϥ (Tatt. liberius vertit: „as in the presence of God.“

is est, cui populus Dei concreditus est; et ipse etiam is, qui animarum eorum rationem reddet.

Can. XXX. Nosse debent seorsum res proprias episcopi, si quidem proprias habet, ac nosse debent etiam bona Domini, ut episcopus, si moriturus sit, de bonis suis disponat [eaque] cui vult, donet; ne bona episcopi pereant sub praetextu bonorum ecclesiae, vel[1] si forte habet uxorem et filios et affines aut servos. Non est enim rectum[2], quod bona ecclesiae pereunt, propterea quod bona episcopi ignoraverunt; neque [rectum est], quod pereunt bona episcopi et affinium ejus sub praetextu bonorum ecclesiae, et affines in miseriam incidunt mortemque ejus infamant.

Can. XXXI. De bonis ecclesiae episcopo committendis. — Praecipimus igitur, ut sit episcopus is, qui potestatem habeat bonorum ecclesiae. Ipse enim est, cui concreditae sunt pretiosae hominum animae; quid igitur quod omnia bona ei commissa sunt, ut de iis disponat pro voluntate sua, ut ex iis suppeditet indigentibus per manus presbyterorum et diaconorum cum omni timore Dei et tremore? Ipse [episcopus] etiam sumat ex iis pro necessitate sua, si indigens est in iis, quae ab ipso fratres peregrini eum visitantes postulant, ne iis rebus, quas ab eo expetiverunt, careant. Lex enim Domini praecipit, ut ii qui altari deserviunt, de altari quoque nutriantur; quia milites regis non pugnant contra hostem ejus [i. e. regis] suis stipendiis.

Can. XXXII.[3] *De iis, qui ludos scenicos frequentant.* — Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui ludos scenicos frequentat, aut vagatur, aut ebrietati vacat, [hoc facere] desinat; sin minus: segregetur. Subdiaconus et lector et cantor, si haec fecerint, desinant; sin minus: segregentur. Ita etiam laïci. — Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui [ludos scenicos] frequentantem neque desinentem novit, decenter eum debet prohibere[4]; sin minus: [ipse?] deponatur.[5]

---

[1] አው፡ Sic etiam in vers. Copt. ⲓⲉ: *aut*, *vel*, (Tatt.: *for?*)

[2] Verba ወኢኮነ፡ ርቱዐ፡ caet. etiam in vers. Copt. cum iis, quae sequuntur, conjungenda sunt. In exemplari Graeco vero et in aliis versionibus cum sententia antecedente conjunguntur.

[3] Hic canon multis in locis ab exemplari Graeco nec non ab aliis versionibus discrepat.

[4] Textus Aeth. hoc loco corruptus esse videtur. Graecus, Syrus et Copt. de eo agunt, qui pecuniam dat foenori. Caeterum haud scio, an textus Aeth. restitutio, quam ego proposui, viris doctis probetur.

[5] Mirum in modum quatuor sequentes canones, qui in Graecis leguntur, in versione tam Aeth. tam. Copt. desunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000044

Can. XXXIII. Episcopum aut presbyterum aut diaconum, qui baptisma haereticorum vel sacrificium eorum adit, deponi jubemus. Quae enim communio est Christo cum Satana? et quae societas fidelibus cum infideli?

Can. XXXIV. De conditione ejus, qui matrimonium impurum existimat. — Episcopus aut presbyter aut diaconus aut quivis ex clericis, qui matrimonio et carnis esu et vini potu abhorret, et id nequaquam temperantiae causa, sed quasi sint turpia, — dum scriptura haec omnia bona esse declarat[1], et Deus masculum et feminam fecit hominem, — et tali modo blasphemat: desinat; sin minus: deponatur et ex ecclesia discedat. Ita etiam laïcus.

Can. XXXV. De depositione ejus, qui poenitentes non recipit. — Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus eum, qui peccati sui poenitentiam agit, non receperit: deponatur; quoniam dolore affecit cor Domini, dicentis: „Erit gaudium in coelis propter unum peccatorem, qui poenitentiam agit.“

Can. XXXVI. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus non ederit aliquantum carnis nec biberit modicum vinum diebus festis, et in occulto haec turpia esse censeat et [hoc modo] auctor offensionis populo factus fuerit: deponatur.

Can. XXXVII. Si quis ex clericis deprehensus fuerit, quod in cauponis manducet et bibat: segregetur; nisi [id] factum sit in deversorio propter necessitatem in itinere. — Si quis ex clericis episcopum contumelia affecerit: deponatur. Dicit enim [scriptura]: „Principi populi tui non maledices.“ — Et si quis ex inferioribus clericis presbyterum aut diaconum contumelia affecerit: segregetur. — Et si quis ex clericis surdum aut claudum aut caecum aut pedibus debilitatum irriserit: segregetur. Et ita etiam laïcus, qui talia fecit.

Can. XXXVIII. De episcopo aut presbytero, qui populum non docet cultum Dei. — Episcopus aut presbyter, qui negligit clerum

---

[1] Quum omnes codd. ወረሰዮሙ፡መጽሐፍ፡ praebeant, hanc lectionem mutare non ausus sum, quamvis verborum constructio satis sit contorta. Minime vero dubito, quin consentiente Graeco (ἐπιλαθόμενος) nec non versione Copt. (ⲉ̀ⲁϥⲉⲣⲡⲱⲃϣ) illa verba corrupta sint ex ረሲያሙ (vel potius, quum de una persona agatur: ረሲያ፡) መጽሐፈ፡ *dum obliviscuntur [obliviscitur] scripturae* (dicentis): *omnia esse bona.* Revera recensio II. habet ረሲያሙ፡

et populum eosque non docet officium divinum, segregetur; si vero in negligentia perseveraverit: deponatur.

Can. XXXIX. Si quis episcopus aut presbyter clerici inopia laborantis curam non habuerit neque eum sibi parem habeat, ei suppeditans pro necessitate ejus: segregetur. Si vero in incuria perseveraverit: deponatur, tamquam is, qui occidit fratrem suum.

Can. XL. Si quis vulgaverit libros ab haereticis falso[1] conscriptos eosque in ecclesiam attulerit tamquam sacros libros, ad illaqueandum populum et clerum: deponatur.

Can. XLI. De clerico, quem convincit populus fornicationis aut alius [delicti]. — Si inter fideles[2] facta fuerit [adversus clericum] accusatio de fornicatione aut luxuria aut de alio facinore, quod non decet, et eum convicerint: ne amplius sit inter clericos.

Can. XLII. De abnegatione Christi et de abnegatione dignitatis clericalis. — Si quis ex clericis propter metum hominum, sive Iudaeorum, sive ethnicorum et haereticorum, abnegaverit: segregetur, si nomen Christi sit, quod abnegavit. Si vero nomen cleri fuerit: deponatur. Quodsi poenitentiam egerit, recipiant eum; sed intret [scil. in ecclesiam, i. e. recipiatur] tamquam laïcus.

Can. XLIII. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus aut quilibet ex clericis manducaverit carnem, in qua est sanguis animae ejus, non mactatam, aut a bestiis morsam, aut morticinium: deponatur, sicut lex de hac re statuit. Quodsi laïcus sit: segregetur.

Can. XLIV. Si quis ex clericis deprehensus fuerit jejunasse die Dominica aut die sabbati, praeter sabbatum magnum Paschatis[3] tantummodo: deponatur.

Can. XLV. Si quis ex clericis aut laïcis ingressus fuerit synagogam Iudaeorum et locum haereticorum ad orandum[4] — [si] clericus [fuerit]: deponatur; et [si] laïcus: segregetur.

---

[1] Sic etiam Copt. ϩⲉⲛ ⲟⲩⲯⲉⲩⲇⲟⲩⲥ *(in mendacio* s. *falsitate)*.

[2] Sic vertentum, codicum lectione retenta. Dubius autem sum, num pro ፦ነበ፡ መሃይምናን፡ *inter fideles* emendare liceat: ፦ነበ፡መሃይምን፡ *adversus* (ፀነበ፡ = ላዕለ፡?) *fidelem* (Gr. εἴ τις κατηγορία γένηται κατὰ πιστοῦ. Ita etiam Copt. (ⲉϩⲟⲩⲛⲟⲩⲡⲓⲥⲧⲟⲥ). Tunc ultima canonis verba vertenda essent: *clericus esse* (i. e. fieri) *non potest* (εἰς κλῆρον μὴ προαγέσθω).

[3] እንተ፡ፋሲካ፡ quod etiam in vers. Copt. additur (ⲛⲁⲧⲉ ⲡⲡⲁⲥⲭⲁ).

[4] ይጸሊ፡ Sic emendandum censeo pro codicum lectione ይጸልዩ፡ quae hic irrepsisse videtur ex eo, quod librarii ይጸ" cum voce sequente (ከሀናት፡) conjungendum esse falso putabant.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000046

Can. XLVI. De eo, qui hominem percutit, ita ut moriatur, quique vim infert virgini. — Si quis clericus altercatus fuerit cum alio eumque percutiat isque moriatur: deponatur propter duritiem cordis sui. Quodsi laïcus fuerit: segregetur. — Si laïcus[1] virginem, priusquam est desponsata, deceperit et cum ea cohabitet: segregetur. Neve aliam ducat, sed maneat cum ea, quam violavit, quamvis sit pauper et nequam [s. despecta?]

Can. XLVII. De eo, qui ordinatur secunda vice. — Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus secunda vice ordinationem nactus fuerit: deponantur cum ipse, tum is, qui eum ordinavit; nisi forte certum est, eos ordinatos esse ab haereticis. Minime enim hi, qui ab hominibus hujusmodi baptizati aut ordinati sunt, fideles et clerici esse possunt.

Can. XLVIII. De eo, qui non jejunat jejunium quadragesimae et feriae quartae et sextae. — Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus aut lector aut cantor non jejunaverit in sancta quadragesima et in feria quarta et sexta: deponatur; nisi aegritudo corporis eum impediverit. Quodsi laïcus sit: segregetur.

Can. XLIX. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus aut quilibet ex clericis jejunaverit cum Iudaeis, vel cum iisdem Pascha celebret, vel ab iis dona festi eorum[2] accipiat, azyma vel huic similia: deponatur. Quodsi laïcus sit: segregetur. — Si quis laïcus in templum ethnicorum et in templum Iudaeorum oleum et lampades attulerit: segregetur.

Can. L. De eo, qui furatur oleum vel ceram vel [alia] quae ad bona ecclesiae pertinent. — Si quis clericus furatus fuerit ceram ecclesiae vel oleum: segregetur, et retribuat id, quod furatus est, quintuplum.[3] — Ex vasis argenteis et vestibus, si paucos dies conspiciuntur[4], nemo quidquam sibi soli sumat; hoc enim peccatum est. Quodsi vero hoc fecerit: segregent ac puniant eum.[5]

---

[1] Vox *laïcus* (gr. εἴ τις) nonnisi in vers. Aeth. et Copt. invenitur.

[2] Lectionem አምኃ፡በዓሉመ፡ recepi, versionem Copt. secutus. Cod. B habet አምኃ፡በበዓ" *dona in festo eorum.*

[3] Sic etiam versio Coptica (ⲛⲉⲱ ⲛⲉϥⲕⲱϐ ⲉ̄ ⲛⲥⲟⲡ.) In Graecis autem legitur: καὶ τὸ ἐπίπεμπτον προστιθέτω μεθ' οὗ ἔλαβεν.

[4] Verba obscura ለእመ፡አስተርአየ፡ኅ"መ" quid sibi velint, equidem nescio.

[5] i. e. segregatione eum puniant. Aethiops reddidit verba Coptica: ⲙⲁⲣⲟⲩⲭⲁϥⲉⲓ ⲉϧⲟⲗ ⲟⲩⲟⲉ ⲛ̀ⲥⲉⲉⲡⲓⲧⲓⲙⲁⲗ ⲛⲁϥ.

Can. LI. De episcopo, quem [criminis] accusarunt. — Quum episcopum [criminis] accusent homines fideles, justi ac probi, necesse est[1] vocent eum ad episcopos. Et si venerit atque peccatum suum etiam confiteatur: corripiant eum et in judicio decernant adversus eum id quod justum est. Quodsi eum vocaverint, neque advenerit: vocent eum iterum ad episcopos[2], et duos episcopos ad eum mittant. Si vero iterum non obtemperaverit: vocent eum tertio mittantque ad eum iterum duos episcopos. Si vero non obtemperaverit et aspernatus fuerit [vocationem] neque advenerit: decernant ii, qui congregati sunt, adversus eum id quod juris est, ut ei fiat ut tali, quem convicerunt, propterea quod judicium effugit[3].

Can. LII. Ne audiant testimonium haeretici adversus episcopum neve audiant testimonium unius.[4] — Ne recipiant episcopi testimonium haeretici adversus [alium] episcopum neve recipiant testimonium unius, nam „ore duorum et trium stet omne verbum.“ — Non licet episcopo largiri munus episcopale fratri suo vel filio suo vel propinquis suis; neve ordinet quos [ipse] vult. Non enim est rectum, munus episcopale haereditate nancisci. Neve largiatur bona Dei pro voluntate hominum; nec decet ecclesiam Christi haereditariam reddere. Si vero hoc fecerint et tali modo ordinationem accipiant: sint ad instar ejus, cui [ordinatio] nulla est; ipse vero [qui ordinavit?] in judicio puniatur. — Qui luscus est, aut qui pede suo claudicat, et dignus est episcopatu: ordinetur; vitium enim corporis eum non polluit, sed vitium

---

[1] ግብር፡ውእቱ፡ cf. Copt. ⲞⲨⲀⲚⲀⲄⲔⲎ ⲞⲚ ⲠⲈ.

[2] Sic textum Aeth. restituendum putavi, inter ኀበ፡ et ፪ inserendo: ኤጲስ፡ቆጶሳት፡ወ. Lectio enim codicum ኀበ፡፪ኤ"ቆ" *(vocent eum ad duos episcopos)* omnino huic loco repugnat.

[3] Aliter Graecus (necnon versiones Syr. et Copt.): μὴ δόξῃ κερδαίνειν φυγοδικῶν. Etiam in rec. II. legitur: ከመ፡ኢይምሰል፡ይርሳሕ፡ (lege ይርባሕ፡) በዬይዮ፡ተስናን፡ *ne videatur utilitatem percipere ex litis* (s. judicii) *fuga* (Similiter in „Abtelisât“: ወኢይምሰሎ፡አቢዮቱ፡ለሕዝብ፡ዘይበቍዖ፡).

[4] Omnes codd. addunt: ኤጲስ፡ቆጶስ፡ [testimonium unius] *episcopi* (Versio Copt. habet: ⲞⲨⲠⲒⲤⲦⲞⲤ *unius fidelis* s. *Christiani*). At vocem istam in textum non recepi, quippequae minime quadret. — Fortasse vero pro ኤ"ቆ" emendare licet: ኤጲስ፡ቆጶሳት፡ Tunc necesse est conjungas ኤ"ቆ" cum ኢይትወ", atque vertas: — — *neque testimonium unius. Episcopi ne recipiant* caet.

animae. — Mutus vero et caecus ne ordinetur episcopus, non quo immundi sint, sed ne bona ecclesiae dispergantur. — Qui daemonem habet, ne ordinetur clericus neve oret cum fidelibus. Quodsi vero mundus factus fuerit: recipiant eum; et si dignus sit: clericus ordinetur.

Can. LIII. Ne episcopus ordinetur is, qui nuper baptizatus est. — Eum, qui ex gentibus accessit vel qui in pravitate vitam degit et [deinde] baptizatus est, non licet statim ordinari episcopum; neque decet, eum, qui non est probatus, esse aliorum hominum magistrnm; sed hoc fiat gratiâ Dei. — Non licet episcopo assidue divitias accumulare, sed rebus ecclesiasticis vacet[1]; sin minus: non fungitur munere episcopali.[2] „Nemo est, qui duobus dominis possit servire," sicut Dominus noster statuit. — Statuimus, ne servus ordinetur clericus sine permissione dominorum ejus, ne contristentur domini ejus; nam hac re familia [pr. domus] illorum deminuitur. Si vero quando servus inventus fuerit, qui ordinationis gradibus dignus sit, quemadmodum nobis visus est Onesimus:[3] domini ejus libertatem ei donent atque e domibus suis eum dimittant: et [tunc] ordinetur.

Can. LIV. Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui militiae vacat et utrumque vult peragere, [videlicet] exercere munus hominum[4] et exercere munus sacerdotii: deponatur. Dicit enim [scriptura]: „Date quae [sunt] Dei, Deo, et quae Caesaris, Caesari." — Qui Caesarem vel magistratum contemnit injuste: puniatur. Quodsi clericus sit: deponatur; si vero laïcus sit: segregetur.

---

[1] Locus satis est obscurus. Graecus habet: εἴπομεν ὅτι μὴ χρὴ ἐπίσκοπον ἢ πρεσβ. καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις. Similiter etiam rec II.: ነገርነ፡ ከመ፡ ኢመፍትው፡ ያብእ፡ ርእሶ፡ ውስተ፡ ዘዝዓለም ። *diximus* (sc. in can. V.), *non licere* [clerico] *se immiscere rebus hujus saeculi.*

[2] i. e. *episcopatu fungi non potest*, nisi cum Copt. (ⲙⲁⲣⲉϥⲭⲁ ⲑⲙⲉⲧⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ ⲉϧⲣⲏⲓ *dimittat episcopatum*) emendare malueris: ኢይግበር፡ *ne (amplius) fungatur episcopatu.* Pro ወለእመሰ፡ emendavi ወለእመ፡ አኮሰ፡ secundum versionem Copticam (ⲉϣⲱⲡ ⲇⲉ ⲙ̀ⲙⲟⲛ).

[3] Nescio quo pacto nomen Onesimi in omnibus codd. desideretur. Rec. II. habet: ሲሞን፡ ዘዚአነ፡ *Simon* (!) *noster.* In versione titulorum Arabica (ap. Bever.) legitur اونيسيفرس *Aunisiphoros;* quod nomen etiam in codd. Aeth. (አውኔሲፎሮስ፡) occurrere auctor est Dillmannii lexicon Aeth. (col. 1469).

[4] Sic Aethiops, quamquam in textu Graeco et in aliis versionibus legitur ῥωμαϊκήν (ἀρχήν). Videtur interpres Aethiops pro ⲛⲓⲣⲱⲙⲉⲟⲥ (Romani) legisse: ⲛⲓⲣⲱⲙⲉ (homines).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000049

Can. LV. Qui librorum novi et veteris [testamenti] in ecclesia recipiendi sint[1] — Sint omnes hi libri clericis et laïcis sancti et honorati; atque hi quidem ex vetere testamento:

Can. LVI. Libri Mosis: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, — Josue, filii Nave, — Judicum, — Ruth, — Regum libri quatuor, quorum primus et secundus unus liber, tertius et quartus [iterum] unus, — duo libri Paralipomenôn, — Esrae prior et alter, — unus liber Jobi, — Esther, — Tobith, — Ecclesiastes, — Davidis psalmi CL, — proverbia Salomonis, — Ecclesiasticus, — canticus canticorum, — XII prophetae minores, — Jesaias, — Jeremias, — Daniel, — Ezechiel. Haec [scripta] docete liberos vestros. Extra illa: sapientia Salomonis, — Judith, — III libri Kufâlê,[2] — [liber] Jesu, filii Siraci, admodum sapientis. — Deinde etiam [recipiantur] hi libri novae legis: IV evangelia: Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, — acta apostolorum, — II epistolae Petri, — III epistolae Joannis, — una epistola Jacobi, — una epistola Judae, — XIV epistolae Pauli, — Abukalamsis i. e. visio Joannis, — II epistolae Clementis.

Can. LVII. De canonibus apostolorum. — Haec quidem vobis praecipimus, o episcopi, de Synodo: si illam auditis, salvi et liberati eritis et pax vobis erit in perpetuum. Si vero non obeditis nec, quae in ea continentur, accipitis, irridebit vos [Deus][3] et erit vobis tristitia inter vos in perpetuum; et postea corripiet vos judicium, quod vobis debetur propter inobedientiam vestram. Et Deus unicus et filius ejus unigenitus, Jesus Christus, et Spiritus sanctus, creator totius creaturae,

---

[1] Quum Abyssinis minime constet, qui libri inter biblicos sint habendi, non est admirandum, quemque fere codicem alium exhibere indicem. Plenius de hac re scripsit *Dillmannius* in „Jahrbb. der Bibl. Wissensch. von *Ewald.*" Jahrg. 1853. p. 144 sqq, quo proinde lectorem rejicio. — Praeter indicem, qui hic legitur, alii afferuntur in canonum apostolorum recensione II. nec non in I. et II. recensione „titulorum" (Abtelisât), quorum tamen alius ab alio dissentit. Ad similitudinen indicis supra allati prope accedit is, qui in libro „*Fetḥa nagašt*" (Mscr. bibl. Berol. fol. 10 b α sqq. invenitur.

[2] Hoc nomine intelligitur liber, qui a Graecis „ἡ λεπτὴ γένεσις" [liber Jubilaeorum] ínscribitur; cujus versionem Aethiopicam edidit Dillmannius (Kiliae et Londini 1859).

[3] Graecus, quem sequuntur omnes versiones excepta Aethiopica et Copticà, habet κολασθήσεσθε. — Si codicum lectionem retinere velles, necesse est subintelligas vocem „Deus" (cf. Psalm. II, 4). At secundum vers. Copt. (ⲥⲉⲛⲁⲥⲱⲃⲓ ⲛ̀ⲥⲁ ⲑⲏⲛⲟⲩ) equidem emendare maluerim: ይሳለቁክሙ፡ *irridebunt vos* („man wird Eurer spotten").

det vobis, unicuique vestrum, pacem, et adjuvet vos in omni bono: dum non labefactamini; et sitis sine macula, nullum habentes peccatum. Et dignos vos reddat domicilio vitae aeternae, per filium suum, quem diligit, Dominum nostrum Jesum Christum, vivum et salvatorem nostrum, cui [proprie: cui tibi] est gloria cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Haec est Synodus apostolorum, quam miserunt apostoli per Clementem. — Et gloria [sit] Deo in saecula saeculorum. Amen.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000051

D: Dg 415

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000055

3/1
ULB Halle
001 131 052

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-36014/fragment/page=00000056